



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1562 usque ad annum 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 9011860X

§. 17. Pro die Sessioni præstituenda conventum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66641)

"ne cum cohorte Vasconum, & Hispanorum ex illorum manibus eripuit. Sæcul. XV.
A. C. 1562.

§. XVI.

Lotharingus Cardinalis Catholicorum victoriam Droci reportatam edoctus.

Quamprimum Lotharingus Cardinalis hujus victoriæ nuntium acciperat, mox Mantuanum Cardinalem invisit, eundem de hoc felici successu certiore redditurus: ergo omnes Papæ Legati, Cardinales, & Episcopi Cathedralē adeunt Ecclesiam, ibique decantato Hymno Ambrosiano ob tam prosperum pugnæ eventum debitas Deo grates persolvunt: Belcarius vero Mentensis Episcopus, qui Nepotem suum in hoc conflictu amiserat, duodecimo post die sermonem oppido facundum habuit, præsentibus cunctis Cardinalibus, eodemque die ipsemet Lotharingus solemne Sacrificium obtulit, postea vero Cardinalem, Oratores, pluresque Synodi Prælatos prandio exceptit. *Pallav. l. c.
Nicol. Psal.
p. 359.*

§. XVII.

Patrum conventus pro præstituenda proximæ Sessioni die.

Alterā die in solatium illorum, qui in hoc prælio gloriose occubuerunt, *Pallav. l. 19.
cap. 10. n. 6.*

Ss 3

Legati *Psal. p. 359.*

Sæcul. XVI. Legati solemnes exequias celebrati
A.C. 1562. ferunt, ubi etiam per Ludovicum Bre-
 zeum Meldensem Episcopum Missæ Sa-
 crificium decantabatur, cui omnes Sy-
 nodi Patres intererant.

Postridie vigesima nona ejusdem
 Mensis habebatur Patrum conventus,
 in quo Carolus de Angennes Cenoma-
 nensis Episcopus, & Andreas Cuesta
 Episcopus Legionensis rursus de resi-
 dentia differebant: feria autem quarta
 die trigesimo ejusdem Mensis de proxi-
 ma Sessione agebatur: cum autem Pa-
 trum plures nondum suas sententias
 protulissent, & Synodus omnes ex-
 cipere vellet, hinc quinta jam pro-
 rogatio fuit facta, decretumque, ut per
 quindecim adhuc dies deliberatio de
 Sessionis die differretur: verum Gra-
 tentis Archiepiscopus has moras per-
 tæsus dixit, mirari se, quod toties de-
 liberaretur de re eadem sine ullo fructu,
 ideo suadebat, ut Legati dividerent
 Episcopos per classes, quatenus brevius
 audiantur suffragia omnium, & ea post-
 modum ad Synodum referantur: Pra-
 gensis vero Archiepiscopus petiit, ut
 sibi primum post quindecim dies suam
 sententiam proferre liceret: Andreas
 tamen Duditius Bardellatus, Hunga-
 rus, Episcopus Tiniensis verba faciens
 affirmabat, triplicem esse residentiam,

ac primo quidem *superstitiosam*, ita, ut Sæcul. XVI. A. C. 1562.
 non liceat unquam a Diæcesi discedere.

II. *Hypocriticam*, qualis est eorum, qui corpore tantum præsentem sunt: III. *veram, realem, & effectivalem*, ut videlicet Episcopus per se ipsum pascat gregem, verbo, vitæ exemplo, & Sacramentis, porro postremam hanc residentiam jure divino imperatam dixit, adeoque necessariam, ut non fas sit Episcopo abesse, nisi justis, & legitimis præpeditis fuerit causis; id vero comprobabat Sancti Augustini testimonio. Epist. 135.

§. XVIII.

Inhumane Calvinistarum vastationes.

Cum interea hæc in Synodo agitantur, Calvinistæ in Francia Belcar. comm. l. 29. num. 42. indies viribus aucti crudelem in modum Regnum depopulabantur; equidem Rex, quantum in ipso erat, eorum sævitiis sese opponebat, ac suorum hostium cunctatione in rem versa Pictavium, ac postea Bituricum recuperabat, ex quibus urbibus postrema circa Mensis Augusti exitum deditione, prima vero per Cardinalem Santandream die prima ejusdem Mensis vi, murisque dejectis capta fuit. Antea Calvinistæ in utraque urbe æque, ac in aliis, quas suæ potestati subjecerant, impotentibus furiis debacchabantur, &